X-W-2.11

EX POLITICA
De
Summa Potestate

publicè disputabit,
PRÆSIDE
MICHAELE WENDELERO
D. & P. P.

JOHANN. FRIDERICUS FUGMANNUS,
Belzigensis Saxo,

In Auditorio majori, horis matutinis
ad d. 16. Februarij.

WITTEBERGÆ,
Typis JOBI WILHELMI FINCELII.
ANNO CIↃ IↃ C LVI.

Theſes de Imperantibus.

PArtes, ex qvibus omnis respublica componitur, ſunt *Imperantes & Subditi.* Nam respublica eſt ordo imperantium & parentium. Imperantes armat & in autoritate conſtituit *ſumma poteſtas*, ſive *Majeſtas*; parentes verò idoneos facit *obſeqvium.* De utrisqve in duabus diſputationibus nonnihil dicemus, de imperantibus in præſente, de ſubditis in ſeqvente.

2. Per imperantes intelligimus illos, qvi propriam poteſtatem ſine ſuperiori poſſident. *Summa poteſtas* appellatur *Majeſtas*, qvaſi major ſtatus, hoc eſt, omnibus aliis imperiis ac poteſtatibus, dignitatibus qvoqve & honoribus jus qvoddam & faſtigium ſuperius, qvo poſt DEUM immortalem nihil haberi cogitariqve majus aut excelſius poſſit. Dum autem *Politici* cum Jurisperitis hanc vocem à magnitudine derivant, potiùs rem, qvàm nomen, intuentur. *Becmanno* rectiùs, juxta nonnullos, dicitur à majus velut, à tempus tempeſtas, ab egus, antiqvo vocabulo, egeſtas.

3. Majeſtas autem ſignificat jus, qvod in ſummâ poteſtate, &, qvæ hanc ſeqvitur, veneratione conſiſtit. Qvæ vocis acceptio eſt manifeſta ex *Partitionibus Oratoriis Ciceronis*, Majeſtatem deſcribentis per *magnitudinem populi Romani in ejus poteſtate ac jure retinendo.* Idem ex Imperatore in *proœmio ſupra Inſtitutiones* conſtat. Ibi enim Imperator dicit, *Imperatoriam Majeſtatem legibus armatam eſſe oportere.*

Qvod imperium sine potestate nemo exeqvi poterit.

4. Majestati proximè assidet autoritas. Hæc ipsa acre ad imperandum est telum, cùm & in pace ad fidem faciendam autoritas qværatur, &, ut *Cicero* pro *Lege Manilià* habet, *multum in bellis qvoq; administrandis atqve imperio militari valeat*. Non magis hanc ab imperantibus removent prudentes, qvàm virtutem ipsam. Hæc potissimum acqviritur & conservatur virtute civili & politicâ. Concursio etiam, ut *Cicero* in *Topicis* ait, rerum externarum affert autoritatem.

5. Porrò morum gravitas autoritatem conciliat, si tamen ita imperantes temperent, ut tristitiam & arrogantiam exuant. Talis fuit, ut *Tacitus* 2. *Annalium* refert, Germanicus, qvi visu & auditu juxtà venerabilis, cùm magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam & arrogantiam effugerat. Tandem ad summam imperantium autoritatem faciunt nonnulla à naturâ, ut si qvis corpore ingens & verbis magnificus, aut ab arte, ut recessus & sejunctio, cùm plerunqve habeantur viles, qvi nimium civiles sunt. *Continuus*, ait *Livius lib. 35. aspectus minus verendos magnos ipsâ satietate facit*.

6. Qvamvis autem autoritas pertineat ad majestatis splendorem, tamen majestas non est idem, qvod autoritas, sed adhuc majus qvid. Interdum qvidem latè & abusivè sumitur pro autoritate, magnitudine & gravitate personæ. Hinc seqvitur, errare *Lipsium lib. 2. Polit. c. 16.* cui majestas *est verendâ qvædam amplitudo ob meritum virtutis aut rerum affinium*. Falsum qvoqve est, qvòd majestatis fundamentum sit meritum virtutis, aut rerum affinium. Nam Majestas

jestas qvandoqve est, ut apud Tyranuum, ubi non virtus aut meritum, sed vitium est. Crassus error & tanto viro planè indignus est. Hic & alii qvàm plurimi *Lipsii* errores ab ignorantiâ Logicæ & purioris Philosophiæ originem trahunt. Nam distincta sunt munera, benè loqvi, & benè disputare. Illud est *Latini*, & J. *Lipsii*, hoc verò *Logici* & Philosophi, adeoqve à *Lipsio* alienum.

7. Majestas modo vulgari accipitur *concretivè* pro Monarchâ, majestate & potestate summâ legibusqve solutâ fulgente, & *abstractivè* pro ipsâ potestate & functione. Nonnulli majestatem, concretivè acceptam, vocant *personalem*, qvòd collata sit in personas, cùm qvibus coincidit, & â qvibus in alias transferri potest. Hæc *Kirchnero* lib. 2. de rep. modò est *Monarchica*, modò *Aristocratica*, modò *Democratica*. Majestatem, abstractè sumtam, appellant realem, qvòd reipublicæ in hæreat, & cùipsâ simul nascatur atqvi intereat. *Dn. Köning* in *Theatro Politico* appellat impropriè dictam, cùm majestas propriè sit in re animatâ.

8. Hæc majestatis distinctio in *personalem* & *realem* familiaris est qvàm plurimis Politicis, nimirum *Bodino*, *Kirchnero*, *Christiano Matthiæ*, *Besoldo*, *Althusio*, *Köning* atqve aliis. Majestatem realem esse superiorem personali, omnes concedunt. Negari non potest, dicit *Avenarius disp. 4. Coll. Polit. p. 112.* illam majorem esse, qvæ alteram constituit, qvæqve immortalis est in subjecto suo, populo scilicet, & alteram minorem, qvæ in unius personâ consistit, & cùm eâdem moritur.

9. In his duabus thesibus tria correctione indigent. Primum est distinctio majestatis in personalem

lem & realem, qvam gemino fundamento everti-mus. Nam primò potestas, qvæ à populo principi conceditur, aut est plenaria, aut limitata. Si est limitata, princeps nullam majestatem consequitur; siquidem hæc in absolutâ potestate consistit. Si est plenaria, princeps, seu summus magistratus, totalem realem & omnem accipit, ita, ut nulla potestas penes populum remaneat, nisi in unâ numero republicâ duo summa, seu duas summas potestates, statuere absurdè velis. Deindè dicimus, qvòd hæc distinctio contradictionem involvat. Nam si majestas est summa potestas, summa autem potestas est, qvæ præter DEUM non agnoscit superiorem; hinc sequitur, qvòd omnes, qvicunqve personalem majestatem reali inferiorem esse volunt, affirment, eandem esse summam & non summam potestatem.

10. Porrò error *Koningij* est castigandus; cui realis majestas est impropriè dicta talis, & reali, tanqvam superiori, personalis obstringitur. Ex his enim manifestè sequitur, qvòd nulla planè majestas detur. Nam si majestas realis impropriè est majestas, non est majestas, cùm Herodes, qvi impropriè est vulpes, non sit vulpes, & DEUS, qvi impropriè habet brachium, non habeat brachium. Deindè si realis majestas est superior personali, nec personalis majestas potest esse majestas; qvia majestas est summa potestas, summa autem non est, qvâ superior est alia.

11. Tandem destruamus necesse est *Arenarij* fundamentum, qvo probat, realem majestatem esse superiorem personali, qvòd personalis constituatur à reali. Omne autem constituens, dicit, est superius constituto. Hoc fundamentum est falsissimum.

Nam

Nam constituens potest esse qvandoqve nobilius, nonnunqvam etiam inferius. Servus constituit dominum, & uxor maritum; tamen nec servus domino, nec uxor marito est nobilior, vel superior.

13. Verùm qvid sit majestas, longè meliùs inqvirendum est. A nemine majestatis definitionem unqvam fuisse datam, *Bodinus lib. 1. de rep. c. 8.* docet. *Principiò*, inqvit, *definienda fuit majestas, qvam nec Philosophorum nec Jurisconsultorum qvisqvam definit; qvùm tamen nihil ad reipublicæ naturam intelligendam majus aut magis necessarium esse videatur.* Ipsi autem Bodino majestas est *summa in cives ac subditos legibusqve soluta potestas.* Qvid hîc desit, infrà dicemus.

14. *Aristoteles 3. Polit. c. 6.* vocat πολίτευμα τῆς πολεως παντὸς κύριον, id est, *majestatem in civitate ubiqve summam potestatem.* Ergò qvod Latinis est majestas, id Aristoteli dicitur πολίτευμα. *Giphanius*, JCTus & optimus *Aristotelis* interpres, *lib. 3. Polit. c. 7.* πολίτευμα reddit *civitatis* principatum, *Camerarius* verò *summam potestatem.* Summa autem potestas nobis nihil aliud est, qvàm majestas, & majestas nihil aliud, qvàm summa potestas, ita, ut reciproci indè fiant termini. *Græci* ἄκραν ἐξουσίαν, interdum κυρίαν ἀρχὴν & κύριον πολίτευμα appellant. Eadem vox *Philip. 3. v. 20.* extat, ubi nostrum πολίτευμα in cœlo esse dicitur, sed in aliâ significatione. Hic enim verbum πολιτεύεσθαι accipitur in sensu generali de externis moribus & actionibus; adeoque πολίτευμα notat conversationem, seu rem familiarem. Hinc *Lutherus* hanc græcam vocem optimè exprimit hunc in modum: **Vnser Wandel ist im Himmel.**

14. Nostræ interpretationi non adversatur, qvando *Ari-*

do *Aristoteles 3. Polit. c. 6.* πολίτευμα esse πολιτείαν; & *cap. 7.* πολίτευμα & πολιτείαν idem significare dicit, cùm tamen majestas nec sit idem cum republicâ, nec cum eâdem idem significet. Nam hic scire debemus, qvòd aliqvid dupliciter dici possit, idem cum aliqvo esse, idemqve significare: primò ut sint duo vel plura nomina diversa, idem prorsus significantia; cujusmodi, sunt aqva & unda, gladius & ensis; qvæ ab *Aristotele 1. Topic. c. 7.* τὸ αὐτὸ ἀριθμῷ, hoc est, idem numero propriè & primum dicuntur. Deindè ut sint duo vel plura nomina, non qvidem indenticam significationem habentia, idem tamen in re significantia; qvomodo idem sunt & significant homo & rationale, homo & Grammaticæ capax. Non priori, sed posteriori modo, majestas & respublica idem sunt, ac idem significant. Majestas enim, qvæ penes unum residet, in re idem est, ac Monarchia, & majestas penes paucos optimates idem est, ac Aristocratia. Iccircò ut se habent majestas unius & majestas optimatum ad Monarchiam & Aristocratiam: ita se habet πολίτευμα ad πολιτείαν, seu rempublicam.

15. Ad majestatis constitutionem reqviruntur: 1. ut sit *potestas*; qvæ vox notat licentiam imperandi, seu ipsum imperium. 2. Ut sit *summa*. Summa autem potestas est, qvæ in repub. non habet superiorem. Nam ut absolutè summum est, qvo non datur superius: ita summæ potestatis natura est, superiorem sine contradictionis implicatione non posse agnoscere. 3. Ut sit summa potestas *in civitate*: qvo reqvisito à potestate, qvæ ante civitatum primordia penes parentes erat, differt. Parùm autem ad summam potestatem facit locorum & provinciarum

multi-

multitudo. Aeqvè enim ipsi competit majestas, qvi uni provinciæ imperat, ac si pluribus imperaret. 4. Ut sit *summa potestas ubiqve*, id est, non tantùm in qvibusdam, sed in omnibus.

16. Hinc sponte seqvitur, *summam potestatem esse liberam à civilibus legibus.* Nam cùm omnes leges civiles armentur à superiori, superiorem autem summa potestas non agnoscat; hinc seqvitur, qvòd neqve leges agnoscere possit. Leges enim, qvæ in summam potestatem feruntur, illæ sunt *vel à superiori, aut à subditis, aut ab æqvali, aut ab ipsâ majestate. Non à superiori; qvia talem non agnoscit: non à subditis; qvippe implicat contradictionem, si subditi, qvi leges accipere debent, leges in alios sanciant: non ab æqvalibus; tales enim non habet summa potestas: non ab ipsâ majestate; qvia nemo à se habet imperium.*

17. Iccircò planum est, qvòd majestas, si esset subjecta legibus, non esset majestas. Nam contradictionem implicat, summum esse, & aliqvod superius se habere, atqve sic legibus subjectum esse. Qvod ipsum si nonnulli observarent, forsitan nunqvam disputarent, an *princeps sit solutus legibus*, neqve tot miseris distinctionibus juxtà ac ineptis rem, suâ naturâ facilem, obscuram difficilemqve redderent. In Politicis certè nihil planius certiusqve est, qvàm, qvod summum est, supra id superius nihil dari posse, idqve vi solius primi principii: *Nihil potest idem simul esse, & non esse.* Ergò si majestas, de qvâ hic agimus, est summa, non potest esse non summa. Summa autem non est, qvando subjicitur.

18. Ut autem qvivis intelligat, qvàm inania sint omnia, qvæ magno numero, etiam hoc tempore

qvotidie proferunt; hinc nonnulla modestè examinabimus. Dicis, *populum esse Rege superiorem, qvòd populus Regem constituat. Jam verò omnis constituens superior est constituto.* Resp. illud constituere duplici fieri modo. Nam vel constituimus aliqvem infra nos, ut qvando servum conducimus; vel constituimus aliqvem supra nos, ut præceptorem & magistratum summum. In ultimo exemplo qvamvis ante constitutionem inter constituentem & constitutum maxima sit æqvalitas; tamen ista tollitur post constitutionem, & qvidem maximè in summo magistratu constituendo. Nam constituens totam in Imperantem transfert potestatem, ita, ut auferri iterum non possit. Hoc modo constituens fit inferior; inqve eo statu ut maneat, jus ipsum & recta ratio svadet. Qvod enim semel placuit, ulteriùs displicere neqvit. Imò omnis, ut rectè annotat *Panormitanus*, qvi habet potestatem conferendi, non statim habet potestatem destituendi.

19. Deinde nonnulli objiciunt: *Respub. non est propter Reges, sed hi propter illam: ideoqve primæ partes reipub. sunt, secundæ Regis.* Syllogismus erit talis: *Omne id, propter qvod aliqvid est, illud est præstantius. Respublica est id, propter qvod est Princeps. Ergò respublica est illud, qvod est præstantius.* Resp. majorem esse falsam; id qvod ostendunt seqventes instantiæ: Tutor est propter pupillum, medicus propter ægrotum, præceptor propter discipulum, paterfamilias propter familiam: Ergonè pupillus tutore, ægrotus medico, discipulus præceptore, familia patrefamilias præstantior erit. Vides, qvòd in majore nullus sit subjecti cum prædicato nexus. Nam, ut suprà di-

ximus

ximus, aliud est præfici, ut dominum, aliud subjici, ut ministrum.

20. Ex his intelligi potest, qvid sit sentiendum de responsione illorum, qvi distinguunt inter *obligationem & executionem*. Legibus, dicunt, solutus est princeps, non respectu obligationis, sed executionis. Nam si deliqverit, non punitur. Qvando hic ulterius qværitur, cur imperator non puniatur; hanc sine dubio afferent rationem: qvia non est in rep. qvi ipsum punire possit. Nam imperatore nullus est superior. Verùm qvomodo poterit obligare lex, si ejusdem transgressionem non seqvitur pœna? Si enim lex obligat, obligat vel ad obedientiam, vel ad pœnam. Tertium hic non datur. Ideoqve ubi non datur pœna, ibi qvoq; non datur lex. Nam legis anima est, qvòd homines subjiciat pœnæ & coactioni humanarum virium. Ubi ergò non est subjectio, ibi qvoqve non est natura legis.

21. Multò rectiùs nonnulli distinguunt inter *leges, qvatenus tales sunt, & qvatenus sunt rationes*. Summus magistratus non qvidem tenetur observare leges, qvatenus sunt leges, sed qvatenus sunt rationes. Non enim qvi legibus aliqvem solvit, eundem statim à ratione absolvit. Malè autem hinc inferunt: *Si summus magistratus non subjicitur legi, nec rationi subjicipotest*. Nam summus magistratus cùm sit animal rationale, à rationis præscripto, propter plenam potestatem, eximi non potest.

22. Alij distinguunt *inter vim legis coactivam & vim directivam*; statuuntqve loqvi leges & Politicos, qvi eximunt principes & reges, tantùm de vi directivâ, non coactivâ, ita ut imperantes sint liberi à vi le-

gum coactivâ, non autem à vi directivâ. Hæc distinctio iterum stare neqvit. Notum enim est ex superioribus, qvòd nulla sit legis vis, ubi vis coactiva non sit. Nam vim directivam habet lex non ex hoc fundamento, qvia lex est; sed qvia virtutis præscriptum est, cùm omnis lex bona ex rectâ ratione & virtutis præscripto esse, adeoqve rationis indolem in se continere debeat.

23. Tandem sunt, qvi ita argumentantur: *Qvicqvid ex legibus naturalibus extruitur, & cum ijsdem ad amussim congruit, illud etiam obligat imperantes. Leges civiles ex legibus naturalibus extruuntur, & cum ijsdem ad amussim congruunt. Ergò leges civiles obligant imperantes.* Resp. majorem esse falsam. Nam si hæc major valeret, tunc seqveretur, summam potestatem omnibus legibus esse subjiciendam, cùm omnes leges in virtuosis rebusp. rectam rationem pro fundamento habeant. Hoc autem immotis argumentis refutavimus suprà. Deinde scire debemus, leges civiles habere suam autoritatem non à naturâ, sed ab hominibus, easdemqve subjicere homines actioni virium humanarum. Sed qvia summa potestas actioni virium humanarum non subjicitur, hinc seqvitur, eandem nec civilibus legibus esse subjectam, qvamvis leges civiles ex naturæ lege oriantur. Denique ex abundanti tantùm addimus, qvòd minor sit falsa; siqvidem non omnes leges civiles, utpote illæ, qvæ in corruptis rebusp. habent locum, ex rectâ naturâ fluunt.

24. Hîc loci aliud dubium oritur, *num summa potestas à legibus divinis & naturalibus sit exemta?* Distinguimus inter duplicem respectum, qvem imperantes

rantes habent. Alius respectus in imperantibus datur ad suum regnum & subditos, alius verò ad DEum & naturam. Modo priori dicitur rex, posteriori verò subditus. Hoc enim respectu qvia nullam habet potestatem; ideoq; à legibus divinis & naturalibus non est solutus. Non à divinis; qvia non est rex, sed subditus DEI, ideoqve ejus majestati & legibus subjectus: non à naturalibus; qvia leges naturales ratione tantùm à divinis distinguuntur.

25. Hinc qværimus, *qvid de legibus fundamentalibus alicujus regni sit censendum?* Hic etiam solutam esse summam potestatem existimamus ex eodem fundamento, qvod suprà posuimus. Nam aliàs leges regni essent superiores summâ potestate. Qvidqvid a. habet aliqvid se superius, illud non est summū. *Dn. D. Martini lib. 2. Pol. p. 620.* affirmativā defendit ex alio fūdamento. *Nam lege regiâ*, dicit, *princeps omnem habet potestatem: ergò etiam in omnes leges. Lege regia*, pergit, *princeps solutus est legibus: ergò etiam omnibus legibus: et si omnibus, etiam fundamentalibus. Populus enim contulit in illum omnem potestatem, qvâ ipse utebatur.*

26. Hìc novū prodit dubium, num *summam potestatem possidens; illes â majestate, juramentum præstare possit?* Cùm summa licentia sæpè reges corrumpat, consvetudine introductus est novus modus per jusjurandum continendi eos intra virtutum limites. Diversa autem sunt juramenta. Qvædam obligant imperantes ad leges reipublicæ, & exiguntur ab iisdem legibus, ut ab Imperatore Germanorum, Rege Polonorum, Danorum &c. Hæc imminuunt jura majestatis in imperantibus. Dum enim promittunt, se immunitates, privilegia & leges servaturum,

qvæ caput est majestatis, potestate leges ferendi se privat. Qvâ de causâ Casimirus III. Polonus difficulter adduci potuit, ut juramentum præstaret, cum bene intelligeret, eo potestatem suam labefactum iri. Hæc *Grom. lib. 22.*

27. Alia juramenta obligant tantùm ad honestatem, seu Dei & naturæ leges, nec majestatem imminunt. Ita qvondam Rex Gallorum juravit: *Juro per Deum omnipotentem, & promitto, me justè regnaturum, judicium, æqvitatem ac misericordiam facturum.* Huc referimus Reges Anglorum & Moscovitarum Imperatores. Vide *Bodinum l. de repub. c. 8.*

28. Tandem qværitur, an *liceat contra majestatem arma sumere, adeoq; eandem ad pœnam rapere?* Qvid qvondam in nonnullis Germaniæ locis rebelles rustici & nostrâ ætate Angli fecerint, omnibus perqvàm notum est. Utrobiqve graviter peccatum fuit. Nam hoc soli Deo licitum est; cui soli & nulli homini summa potestas subjicitur. Ergò qvoqve homo id facere ut non potest, sic neqve debet. Interim Rex, tanqvam vir bonus, sese accommodare legibus ultrò debet, idqve propter exemplum. Perpendant præterea principes, utut eos ab hominum pœnâ tutos faciat majestas, vindictam eò graviorem, qvò graviùs peccent, & non paucis occasio peccandi exemplis fiant, expectandam esse.

29. His, qvas enumeravimus, summæ potestatis proprietatibus nonnulli addunt, qvòd summa potestas debeat esse *perpetua & propria.* Perpetua sit, hoc est, tam diu duret, qvàm diu regnum, & qvàm diu vivit is, in qvem regni majestas collata est. Ideoqve qvando alicujus regni populus sibi reservat judiciũ

in

inimperantes, ita ut eosdem pro re natâ imperio privare possit, tùm respublica non est Monarchica, sed Democratica, qvamvis externum exercitium præ se ferat Monarchiæ ingenium. Nam in his rebuspublicis summa potestas reverà manet penes populum, rex verò eandem precariò, adeoqve à populo dependentem, sibiqve certis conditionibus concessam, usurpat. Deindè hinc constat, administratores, qvi vel propter infantiam, vel furorem, vel absentiam veri regis interdum creantur, majestatẽ propriè non obtinere, qvòd eandem populo postea deponere cogantur.

30. Summa potestas debet esse propria, hoc est vel jure hæreditatis, vel electionis lege liberè concessâ, non precariò, non ad tempus, sed perpetuò. Hinc sequitur, majestatem esse denegandam legato. Is habet qvidem perpetuam potestatem, sed precariò, cùm de eâdem rationem reddere teneatur, vel principi, vel optimatibus, vel deniqve toti populo. Curator autem dici potest; sed majestatem penes ipsum esse affirmari non potest; qvippe hæc vel penes principem, vel optimates, vel populum manet.

31. Origo summæ potestatis est vel *divina*, vel *humana*. Nam DEUS jura majestatis imperantibus largitur. *Per me*, ait sapientia æterni patris Prov. 8. v. 15. *Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Rom. 13. v. 1. *Non enim est potestas nisi à* DEO. *Quæ autem sunt potestates, à* DEO *ordinatæ sunt. Itaqve qvi resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qvi autem resistit, ipsi sibi damnationẽ acqvirunt.* Hinc ibidem v. 4. dicitur *Dei minister. Dei enim minister est, tibi in bonum. Si autem malè feceris, time. Non enim sine causâ gladium portat,*

tat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè agit. Eandem ob causam Christus *Matth.22.v.21.* censum Cæsari dari jubet.

32. Undè colligimus, qvòd jure divino homo Christianus, cùm legitimè vocatur, magistratum gerere possit. Nam est divina ordinatio, qvæ Christianismum non tollit; & Evangelium non abolet politiam, ut neqve medicinam, neq; agriculturam. Ultimæ rationi Anabaptistæ & Libertini objiciunt nonnullas sacræ scripturæ dicta: Rom.12.v.17. *nulli malum pro malo reddite.* Matth.5.v.39. *ne resistatis malo.* Deut. 32. v. 35. *Mea est ultio & retributio.* Prov. 24. v. 29. *Ne dicas, qvomodo fecit mihi, sic faciam ei.* Ex his colligunt, Evangelium prohibitione vindictæ tollere magistratum.

33. Nos distinguimus inter *vindictam ordinatam & publicam*, & *inordinatam & privatam.* Illa fit certo ordine, certis legibus, bono fine, absqve odio personæ per magistratum; hæc verò contrà sine ordine & legibus, affectu malo, tenditqve ad malum ejus, de qvo vindicta petitur. Hæc, non illa, in locis allegatis prohibetur non tantùm in privatis personis, sed qvoqve in publicis, magistratum gerentibus. Nam dum summa potestas contra legum ordinem exprivatâ cupiditate gladio abutitur, æqvè contra hanc divinam prohibitionem peccat, atqve privati. Sic Saul, Judæorum Imperator, ex injustâ vindictâ conabatur tollere Davidem.

34. Publica autem vindicta tantùm abest ut tollatur, ut potius magis magisqve confirmetur. Paulus enim in citato capite v. 4. magistratum vocat diserte ἔκδικον vindicem ad iram. Dictum Mosis nostram

senten-

sententiam non destruit, sed validè confirmat. Nam DEUS, tanqvam justus judex, punit peccata, interdū *immediatè*, interdum *mediatè*. Hoc modo vindicta magistratus non hominum, sed ipsius DEI est.

35. Cum, teste Paulo, omnis potestas sit à DEO, etiam Tyrannorum potestas erit à DEO, Illud enim axioma Apostolicum æqvipollet universali affirmanti. Qvomodo autem sit à DEO explicandum erit. *Potestas* ipsa accuratè distinguenda est *à vitio potestatis & persona*. Potestas sanè Tyranni est à DEO, sed ipsa Tyrannis, hoc est, abusus potestatis & sævitia Tyranni, qvatenus est talis, non à DEO, sed à Satanâ est. Huc referunt insignem locum, qvi legitur *Apoc. 13. v. 2. Et bestia, qvam vidi, similis erat pardo, & pedes ejus, sicut pedes ursi, & os ejus, sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam & potestatem magnam.* Qvatenus autem abusus potestatis est malum pœnæ, hoc est, qvatenus est flagellum, qvo subditorum castigantur peccata, DEUM autorem habet. Hinc *3. Reg. 12. v. 24.* dicit Dominus: *A me factum est verbum hoc.*

36. Nonnulli putant, qvòd melior breviorqve in ipso græco textū extet responsio. Ibi enim hæc verba græca (οὐκ ἔστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν) non sint communiter reddenda: *qvæ autem sunt potestates, à DEO ordinatæ sunt*; sed hunc in modū: *omnes veræ potestates à DEO ordinatæ sunt*. Participium enim, ajunt, ὤν, οὖσα, ὄν, significat hic loci, *verus, vera, verum*; adeoqve vox græca non sumitur hic *participialiter*, sed *adjectivè*. Jam negant minorem propositionem, qvòd *Tyranni potestas sit vera potestas*.

37. De variâ hujusmodi vocis, qvam in Grammaticâ habere potest, acceptione non dicam; sed tan-

tùm, num hæc vocis explicatio hic locum invenire possit. Ratio dubitandi est hæc, qvia Politici concedunt, potestatem Tyrannicam esse veram, qvamvis non sit legitimè acqvisita. Aliud enim est res ipsa, aliud verò modus, qvi rem non variat. Hinc communis Politicorum distinctio inter potestatem respectû acqvisitionis & usurpationis consideratam, & potestatem in se & simpliciter consideratam. Hoc, nõ illo modo, est à Deo, & est qvoq; vera talisqve etiã manet. Ut enim respub. vitiosa est respublica vera, hoc est, ordo inter imperantes & subditos, ut Tyrannus est magistratus verus, & deniqve ut leges vitiosæ sunt leges veræ: ita etiam talis potestas. Major propositio negari neqvit, ut alibi prolixè probamus, nisi multorum Politicorum principia negare velis.

38. Humana majestatis origo est, qvando per media ab hominibus pendentia confertur. Hæc vel est *Ordinaria*, vel *Extraordinaria*. Media ordinaria sunt *Successio* & *Electio*. Successio locum habet in regnis hæreditariis; in reliqvis verò Electio: qvæ fit, qvando vel ipse populus, vel regni proceres, populi vicem gerentes, imperantibus summam potestatẽ, qvam obtinent, offerunt. Extraordinaria est vel frequentior, vel rarior. Frequentior est, qvando imperium vel pacificis medijs, vel jure dotis, vel testamento acqviritur. Rarior est, qvando imperantibus jura majestatis vel casú, vel sorte, committuntur. Sic Darius, hinnitu eqvi eligitur, ut *Herodotus* refert *lib. 3.*

39. Finis respicit vel Deum, vel homines. Ille consistit in salute Ecclesiæ, veræ religionis propagatione & conservatione; hic verò in regni & subditorum incolumitate naturali, morali & civili. Hic

finis

finis in genere ad salutem & utilitatem corporis politici pertinet. Nam cùm tàm latè pateat officium principis, qvàm latè patent jura majestatis; ideoqve ipsius est defendere non tantum bona corporalia, sed etiam spiritualia. Qvod vel inde manifestum est; qvia summa potestas debet regere civitatem; civitas autem constat ex tribus ordinibus, scilicet *Ecclesiastico, Politico & Oeconomico.*

40. Hæc de summa potestate, qvatenus est totū potestativum, hoc est, ex variis partibus compositum; nunc de summæ potestatis partibus est agendū. Partes illæ sunt summæ in variis rebus potestates, qvas nonnulli non adeò bene *regalia*, qvidam verò rectiùs jura vocant, cùm majestas non tantùm Regi, aut Principi, sed cuivis reipublicæ, in terrâ superiorem non agnoscenti, debeatur.

41. Ex iis juribus, qvæ præponi solent, præcipuū est potestas ferendi leges. Nam summæ potestatis, ut suprà diximus, est imperare; imperatur autem magnâ ex parte legibus. Ideoqve leges in manū summam potestatem habentis consistere oportet, alioqvin nullam vim habituras, nisi munirentur autoritate illius, qvi plenam potestatem possidet. Distinguere autem nos oportet inter legumlatores, qvibus datur potestas conscribendi leges, sine confirmatione summæ potestatis non valituras, & inter imperantes, qvi suâ autoritate leges roborant.

42. Hoc majestatis caput sibi præscindunt illi principes, qvi juramento promittunt subditis, se nihil de privilegijs, vel legibus, mutaturos, aut innovaturos, seu, qvi leges ferunt cum clausulâ, in perpetuū valituras. Nam successoris potentiæ non potest an-

teceſſoris ſtatutum præjudicare; nec tenetur, qvi cũ ſummâ poteſtate eſt, anteceſſoris acta confirmare. Qvæ enim benè ſtatuta ſunt, propter honeſtatem ſervanda ſunt ſucceſſori, non propter vim legis.

43 Huc pertinet poteſtas ſolvendi aliqvem à legibus & irrogandi privilegia, cùm ejusdem poteſtatis ſit, illigare & eximere legibus. Non enim privilegium tantùm vocatur exceptio à jure, ſed qvoqve irrogatio pœnæ aut edictum contra aliqvem latum. Sic *Cicero pro dom. privilegium*, ait, *de ſuo capite latum*, innuens legem Claudiam, qvâ decernebatur contra eum qvæſtio. Et jure poſſidet majeſtas poteſtatem remittendi & condonandi ſcelera, qvatenus non repugnat divinis ſanctionibus & legibus naturæ, qvibꝰ princeps abrogare neqvit, qvòd naturalia jura civilis ratio corrumpere non poſſit. Poſſidet item legitimationem & natalium reſtitutionem, qvam non nemo eleganter vocat *παλιγγενεσίαν*, hoc eſt, regenerationem civilem.

44. Deinde referimus ad majeſtatem ſummum imperium & jurisdictionem ſine provocatione, qvòd fruſtrà ferrentur leges, niſi qvi easdem ferret, haberet poteſtatem exeqvendi & in deliqventes animadvertendi. Provocatio verò, (qvæ eſt jurisdictionis inferioris judicis per legitimam invocationem ſuperioris, in eodem judicio factam, ſuſpenſio) ſemper cum ordine magiſtratuum aſcendit, donec in ſummâ qviescat poteſtate, in quâ & ipſam figi & deſinere neceſſe erit.

45. Tertio loco ſiſtimus poteſtatem inſtituendi magiſtratum. Nam omnis magiſtratus, qvi precarium imperium habet, non poteſt id aliundè accipe-

re, qvàm à majestate, cujus propria sunt. Hinc *Philosophus* magistratuum collationem assignat regio jurii & *Polybius libro* 6. ut ostenderet, qvòd penes plebem Romanam aliqvid majestatis remanserit, producit tale argumentum: qvòd *contulerit magistratus*. Ex eodem jure originem trahit, qvod tradit *Chassaneus*, regem Gallorum posse tollere omnes jurisdictiones, si velit, in suo regno, eò qvòd supremus dominus sit.

46. Qvartum jus versatur circa exigenda *tributa & vectigalia*. Nam tributum dare est probatio subjectionis: quo argumento *Christus* Phariseos convincit. Est autem tributum, ut *Varro* habet, pecunia, populo imperata, qvæ tributum à singulis proportione censûs exigitur. Constitutio feudalis ita habet: *Ad Regalia pertinent angariarum, parangariarum, & plaustrorum & navium præstationes, & extraordinaria collatio ad felicissimam regalis numinis expeditionem.* Angariæ sunt munera personalia, parangariæ verò talia, ex qvibus præstantur operæ, pecuniæ atqve alia.

47. Hæc & id genus alia summa potestas jure exigit, qvòd omnia sint principis, nō tantùm qvoad petitionem, sed qvoqve qvia jure civili omnia regis sunt. Tantùm licet imperantibus pro reipub. utilitate tributum imperare. Alij aliam tributi exigendi afferunt rationem, qvòd fieri non possit, ut sacris tributis non illatis resp. conservetur. Nam ex ijsdem muri, & civitates restituuntur, aliaqve reipub. procurantur commoda, ut, qvæ à subditis contribuuntur, partim in ipsos, partim propter ipsos impendantur. Nemo ergò tributum detrectet, cùm ejus sit sentire

incommodum, qui sentit commodum, oporteatq; sumtus eum facere priùs, qvi qværit lucrum.

48. Hæc autem ratio, à nobis adducta, ostendit, quòd Imperantibus liceat tantùm tributa imperare ad publicam utilitatem. Deus qvoqve *Deut. 17. v. 17.* vetat, ne reges luxu & prodigalitate sudores subditorum decoqvant. *Cromerus lib. 3.* de Boleslao. 1. Polonorum rege, refert, qvòd dixerit, malle se gallinâ vescentem salutem & tranqvillitatem suorum civium tueri, qvàm delicijs indulgentem pati, ut qvisqvam opprimeretur. Ideoqve mediocritas, si ullibi, in tributis spectanda est. Multi namqve, secundum *Tacitum 3. hist.* pecunijs acerbè conqvirendis plus invidiæ sibi, qvàm virium addiderunt. Romani bello Punico secundo, referente *Livio lib. 26.* pecuniam mutuò à civibus sumere maluerunt, qvàm tributum extorquere. Mahometh in agone id unicum conqvestus est, qvòd semel injustum tributum imperaverit. Ex his rectè colligimus, non licere principi, nisi summâ urgente necessitate, novum tributum imponere.

49. Illud certum est, optimos qvosq; Principes tributo minimè studuisse. *Tacitus 2. annal.* laudat Romanos, qvòd, Cappadociâ in provinciam redactâ, bonam tributorũ partem indulserint. *Svetonius c. 32.* commendat Tiberium, *Marcellus lib. 25.* Julianum, *Plinius in Paneg.* Trajanum, & *Orosius lib. 7. cap. 15.* Antonium Pium. Nam revera, qvi depauperat subditos, rempub. totam depauperat, cùm tantum sit imperantium, qvantum omnium. Præterea ponit se in odium & inimicitias, qvia qvi nimis emungit, elicit sanguinem. Hinc tot ubiqve seditiones ex severâ tributo-

butorum exactione prodierunt. Hanc ob causam à primis Athenienſibus defecerunt ſocij, *Thucid. lib. 1.* & à Carthaginenſibus ſocij, *Polyb. lib. 1.* Hinc ab imperio ſe avulſerunt tùm Batavi, tùm Helvetij. Nunqvam ruſtici Svevici occaſionem habuiſſent conturbandi rempublicā, ſi primo petitionis eorum capiti, qvo remiſſionem tributorum flagitabant, indultum fuiſſet.

50. Qvintò his accenſemus poteſtatem tractandorum armorū, qvæ conſiſtit non tantùm in curâ armamentarij publici, ſed qvoqve in poteſtate diſponendi ſtatuendiqve de indicendo ducendoqve bello. Nam, ut *Ariſtoteles 7. Polit. c. 4.* habet, qvi in manū ſuâ habent arma, in eorum arbitrio eſt, ut respub. maneat, vel non maneat. Hinc imperantes, cumprimis peſſimè ſibi conſcij, non male ſibi proſpiciunt, dum publicis edictis prohibent, ne cuiqvā, inſciâ & inconſultâ majeſtate, qvorumlibet armorum movendorum copia tribuatur.

51. Sextò adjicimus vias publicas, flumina navigabilia, portus, ripatica, theſauros in publicis locis inventos & res pro derelictis habitas. Nam qvæ nullius propria ſunt, aut dominum perdiderunt, ad univerſalem dominum pertinent. Huc pertinet venatio & jus ſignandi monetam. Publicæ enim utilitatis intereſt, ut pecuniæ benè proſpiciatur.

52. Sed horum jurium nonnulla, qvæ poteſtatis minus habent, ſolent ſubditis communicari. Ita jus ſignandi monetam multis Germaniæ civitatibus indultum eſt, & Pruthenis à Polonis. Jus extremæ provocationis datum eſt Senatui Romano ab Adriano, & Senatui Mediolanenſium à Carolo V. Jus autem

ferendi

ferendi leges aliaqve summæ potestatis plena jura, sine deminutione majestatis, subditis attribui non possunt. Hinc Hispanorum JCti dicunt, *Majoriam*, id est, summam potestatem, *non transire ad subditos*.

53. Inter omnia maximè controversum est: *an venatio subditis jure sit ademta?* Nonnulli in affirmativam condescendunt partem: qvòd venatio laborum principis stipendium sit: qvòd curarum & tædiorum gratum levamen sit: qvòd multorum annorum præscriptione obtenta sit; & qvænam hujus generis sunt plura. Nonnulli contrà qværunt: annon & subditis laborum stipendia debeantur? annon & subditis in paupertate noctu diuqve dimicantibus tædiorum levamina afferri possint?

54. Proindè docent, DEUM omni in Adamo homini gratiosè dixisse: *dominamini pisci maris & voluceri cœlorum & omni bestiæ gradienti super terram*, Gen. 1. v. 28. Urgent, benignitatem istam homini lapso, non modò non ademtam, sed confirmatã esse, *Gen. 9. v. 2, 3.* Hinc concludunt, homini divinâ benignitate traditam, humanâ invidiâ & libidine non esse subtrahendam.

55. Quilibet hinc liberè judicabit, qvid hâc de re sit statuendum. Nam judicis partibus non fungar. Unicum ego addam: qvomodo hæc Politicorum dogmata possint stare: *venatio multorum annorum præscriptione obtenta fuit*: Item: *divina & naturalia jura nulla ratio civilis corrumpere potest*. Hæ duæ nonnullorum Politicorum propositiones qvomodo concordent, ego non possum videre. Talia ubiqve occurrunt, eademqve fermè infinita.

56. Septimò qvidam addunt potestatem creandi

Duces

Duces, Comites, Palatinos & Nobiles, & jus fundandi Scholas & Academias. Nam summam potestatem possidens omnis nobilitatis est origo. Rem cum Academijs sese ita habere, Bononiensis, Parisiensis, Pragensis & Patavina, vetustissimæ Academiæ, testantur. Bononiensis à Theodosio fundatur, à Carolo Magno restauratur, dotatur & immunitatibus novisque privilegiis exornatur. Parisiensis, Pragensis & Patavina Carolos, sc. Magnum & Qvartum, fundatores agnoscunt. Ut autem Romanus Pontifex, Anti Christus Occidentalis, jura, leges & cæteras dignitates, qvæ imperatoris sunt, ad se rapuit; sic qvoqve potestatem fundandi Academias usurpatione sibi adscripsit & fraude. Omnis n. qvi nullam potestatem habet, ille neqve jus fundandi Academiam exercere poterit.

57. Tandem cura circa religionem est summæ potestatis. Nam, ut *Aristoteles 7. Polit.* ait, cultus divinus est ex eorum numero, sine qvibus civitas esse non potest. Imò vera religio est omnium regnorum fundamentum firmissimum. Ab hâc enim dependet subditorum fides in principes, obedientia erga magistratum, pietas in parentes, charitas in singulos, & deniqve justitia in omnes. Eandem omnibus addere animum, in periculis erigere, omnia promovere, ac omnibus modis remp., urgente necessitate, sublevare, pleriqve tùm legislatores, tùm Philosophi, statuunt.

58. Qvamvis autem ad summam potestatem pertineat jus mutandi religionem: cautè tamen summus magistratus ubiqve agat, qvòd is, qvi religionis mutationem instituit, subditorum oculum tangat. Hinc maximi non ratò oriuntur tumultus, imò mul-

torum regnorum eversiones. Iccircò qvisqvis veram in suo territorio obtinet religionem, eandem ut tueatur, atqve illibatam conservet, nunqvam non studeat. Ubi enim variæ circa religionem opiniones existunt, ibidem subditorum animi distrahuntur, unio solvitur, & tandem regni fortitudo dissipatur, imò, ut verius dicam, planè evanescit.

59. Ubi verò falsa religio docetur, eam imperantes tollant, si sine tumultû & periculo possunt: sin minus, à vi abstineant, ne unà cum imperio id, qvod adhuc habent veræ religionis, planè amittãt. Nam præstat habere aliqvam, qvàm nullam religionem. Est autem hic distinguendum inter *hæreticos*. Qvidam enim sunt *seducentes*, seu tales, qvi aliqvam hæresin propagant, qvidam *seducti*, seu tales, qvi hæresin seqvuntur. Deinde geminus alicujus regni poterit esse status, *liber* & *pressus*. Hæretici seducentes in liberâ republicâ jure relegantur; seducti verò, si tranqvillè & sine scandalo vivunt, tolerari possunt. Est enim spes qvædam ipsorum conversionis futura. In qvâcunqve autem repub. status est perturbatus, & hæretici, sine sanguine, removeri non possunt, tempori cedendum erit. Nam, secundum tritum, *qvi nescit dissimulare, nescit imperare*.

60. Hujus potestatis beneficio imperantes habent potestatem Episcopos convocandi congregandiqve synodos. Sic Theodosius Magnus convocat synodum contra Macedonium Constantinopoli anno 385. Theodosius junior Ephesi anno 433. Martianus Imperator contra Eutychen Chalcedone anno 458. Justianus Constantinopoli anno 553. Constantinus Barbatus Bizantij anno 681. Irene Niceæ anno 788. & denicq; Basilius imperator Constantinopoli an. 860.

61. Ve-

62. Verùm dicis, magistratum doctrinæ fidei esse subjectum, adeoqve nullam in rebus sacris potestatem habere. Hic distinguimus inter *potestatem internam & externam.* Interna est, qvæ à ministris Ecclesiæ in eâdem exercetur docendo, solvendo, ligando & sacramenta administrando. Qvæ potestas imperantibus non permittitur. Externa extra templum circa Ecclesiæ personas & negotia civiliter exercetur. Hæc ad summam potestatem, ut suprà ex fine probavimus, pertinet. Nam principis est, leges religionis & divinum cultum tueri. Ergò qvoqve ejusdem est leges condere, ad cultum facientes, non qvidem pro libidine, sed verbo Dei conformes.

63. Ad hanc potestatem pertinet jus vocandi ministros. Imperantes enim sunt Ecclesiæ membra, custodes utriusqve tabulæ & Ecclesiæ nutritii *Esaiæ 49. v. 23.* Præterea debent rationem habere eorum, quæ ad animarum salutem spectant. Vocatio autem pastorum est talis, qvod primum in iisdem obtinere locum debet. Eandem potestatem Pontifex Romanus hodiè usurpat, sed tantùm indulgentiâ imperatorum. Nam ex historiâ notum est, Imperatores elegisse non paucos Pontifices, imò qvoqve eosdem, ob enormia vitia, sæpè removisse. Otto Primus removit Johannem XII. eidemqve Leonem suffecit. Hæc habet *Sigonius lib. 7. hist. Ital.* Ludovicus IV. referente *Aventino lib. 2. annal.* deposuit Johannem XXII. ob vitam pessimè peractam. Nonnulli producunt Heinricum V. Papam Paschalem, ob pacta non completa, in carcerem conjicientem.

63. Hujus loci sunt duæ seqventes qvæstiones: I. Num *hæretici capitali pœnâ afficiendi sint?* Pugna hic

est nostris Doctoribus tùm cum *Pontificijs*, tùm cum *Calvinianis*. Nam & illi & isti volunt in hæreticos capitali pœnâ animadvertendum esse. Hanc sententiam operosè adstruit *Bellarminus* lib. de Laicis cap. 21. *Becanus* in Manuali Controv. lib. 5. cap. 17. *Gregorius de Valentiâ* tom. 3. disp. 1. q. 11. punct. 3. p. 528. & seq. Ex Calvinistis eandem opinionem defendunt ipse *Beza* lib. de hæreticis à magistratû puniendis, *Zanchius* T. 1. Miscell. p. 280. *Bucanus* in Instit. loco 49. q. 34.

64. Nostri Doctores contrarium tuentur. Cùm autem hæc qvæstio paulò impeditior sit, distinctè progrediemur. *Principiò omnibus constat, istos idololatras, qvi se ad cultum lignorum, lapidum & similium rerum abjiciunt, de* DEO *nondum institutos, non interficiendos esse, ob crassam idololatriam, sed piâ institutione in rectam viam ducendos.* Citant *Act. 17. v. 30. Deinde libenter concedimus, qvòd crassi idololatræ, alios ad eundem cultum impiè instigantes, capitali pœnâ è medio tollendi sint.* Hoc enim jubet DEUS *Deut. 13. v. 5.*

65. Tertiò: *Hæretici, qvi fundamentum religionis evertunt, sed ex judicij imbecillitate errant, nec subditos contra magistratû concitant, & à magistratu regno exire jussi libenter obtemperant; illi non capitali supplicio, sed banno & exilio coercendi sunt.* Nam violentia hæc est à verbo DEI aliena & praxi primitivæ Ecclesiæ. Verbi divini effatum extat *2. Corinth. 10. v. 4.* praxis verò *1. Tim. 4. v. 12.* Velle cogere qvenqvam ferro & flammâ ad religionem hanc vel illam amplectendam, certissima Anti-Christi nota est. Nam *Apoc. 17. v. 6.* sub figurâ mulieris descriptus, plenus dicitur sanguine sanctorum & martyrum Christi. Fidem qvoqve non inge-

ingenerari ullâ flammâ, ferro aut carcere; sed esse ex auditu verbi ex *Rom. 10. v. 17.* confirmant; nec esse violentiæ humanæ, sed gratiæ divinæ opus ex *Eph. 2. v. 8.* adstruunt.

66. Adhiberi autem hîc posse excommunicationem, &, si eâ nihil obtineri potest, exilium, manifestum est est ex *Rom. 16. v. 17. 1. Timoth. 6. v. 3. 5.* atque aliis locis, ex Christi admonitione *Matth. 18. v. 17.* atque ipsa Apostolorum praxi. *1. Tim. 2. v. 20.* Hæc autem dura media non esse tentanda, anteqvàm prius tentata fuerit molliori emendationis via, docet *Paulus 2. Tim. 2. v. 25. 26. & Tit. 3. v. 10.*

67. Qvartò: *Hæretici, qvi non tantùm blasphemias summo studio spargunt, sed qvoqve tumultus excitant, & subditos commovent, & ex republicâ exire jussi, abire detrectant, jure vinculis coercentur, & si pergunt, capite plectuntur.* Nam qvi voluntariâ malitiâ in Deum blasphemiam evomunt, monitore Deo *Levit. 24. v. 15.* occidendi sunt. Deinde, qvia delictum, in hominem admissum, punitur morte: Ergò magis nominis divini profanatio capitali supplicio vindicatur. Tandem qvia ex *Rom. 13. v. 3. 4.* perspicuè liqvet, publicæ pacis turbatores capitali pœnâ dignos esse. Ex hâc Theologorum doctrinâ constat, qvid de hæreticorum pœnâ statuere conveniat.

68. 11. *Num imperantes possint inhibere disputationes de rebus Theologicis?* Hujus opinionis sunt *Turcæ, Lipsius & Bodinus.* Lipsius 4. Polit. c. 3. pag. 92. *Publicè peccare dico, qvi & ipsi malè de DEO receptisqve sacris sentiunt, & alios ad sentiendum impellunt.* Idem ibidem: *Fatalis ista est ingeniorum scabies, ut omnes disputare malint, qvàm vivere. Aculeones ubiqve & Curio-*

nes, qvi satagunt inqvirentes, & qva subter terram sunt, & qva super cœlum. Bodinus lib. 4. de rep. pag. 752. *Cùm semel constituta & omnium consensû probata religio fuerit, ne posti hàc in disputationem deducatur cavendum est; ut omnes seditionum vias, omnes aditus intercludantur, & præsidia pacis muniantur.* Utitur qvoqve hoc argumento satis infirmo, qvòd disputationis materia esse debeat probabilis, Dei verò verbum non sit probabile, sed apodicticum fidei principium.

69. Nos, ut contrarium tueamur, urget pastoris officium ex *Tit. 1. v. 9.* qvod sacrarum literarum διδασκαλίαν & falsarum doctrinarum ἔλεγχον complectitur: id qvod sine contradictione & disputatione nunqvam præstabit. Novimus qvoqve, ex *Luc. 2. v. 46.* Christum in templo Hierosolymitano cum Doctoribus instituisse disputationem, & passim Scribis & Pharisæis se disputando opposuisse. De summâ utilitate, qvam hoc exercitium affert, non dicam. Nam auditores in verâ religione confirmantur; & hæreticis obviàm itur, ne suas hæreses tàm facilè disseminare, atqve infirmos à veritatis tramite abducere possint. Ergò disputationes de religione ab imperantibus impediri non possunt.

70. In summam potestatem committitur crimen læsæ majestatis à subditis, & maximum judicatur delictum. Nam qvod parricidium est in familiâ, illud crimen læsæ majestatis dicitur in rep. Est crimen hoc imminutæ majestatis longè gravissimum juxtà ac atrocissimum, cùm ad universum alicujus imperii statum evertendum dirigatur; veluti si qvis regnum affectet, aut magistratum violet. Nec in personam solummodò, sed & in leges à personâ sanciras,

jura

jura & privilegia personæ majestatis læsione peccatur. Punitur extremo supplicio cum publicatione bonorum, damnatione memoriæ & liberorum punitione.

71. His ita, juxta principia Aristotelis, expositis, qvivis videt, qvòd majestas, seu summa potestas, omni reip. perfectæ insit, seu fuerit recta, seu corrupta, seu deniq; ex duabus vel tribus simplicibus formis mista. Ergò in Monarchiâ est penes unum, in Oligarchiâ penes paucos, in Democratiâ penes populum, in rep. ex Monarchiâ & Oligarchiâ mistâ, penes unum & paucos, sed modo diverso. Nam qvandoqve jura dividuntur, interdum qvoq; uni & paucis sunt communia. Cùm jura sint signa & summæ potestatis argumenta, penes illa debemus notare, qvomodo in aliqvâ rep. sese potestas habeat.

72. Hinc facilè possumus videre, in qvos summa potestas influat, seu, qvinam summæ potestati sint subjecti. *Aristoteles* hic eleganter loqvitur. Nam ipsi parentium, seu subditorum, nomine veniunt omnes, qvi non sunt imperantes; ut sunt in regno βασιλευόμενοι, id est, omnes præter Regem, in Oligarchiâ ὀλιγαρχούμενοι, hoc est, omnes, exceptis optimis, conjunctim sumti; in Democratiâ πολιτευόμενοι, qvod est, omnes divisim sumti. In mistâ rep. potest esse aliqvis imperans & parens simul. Hinc divisio subditorum in subditos absolutè tales, & eos, qvi secundum qvid subjiciuntur.

73. Ut autem percipiamus, qvomodo in Democratiâ omnes, divisim sumti, sint subditi, explicandũ erit, qvomodo summa potestas in eo statũ sese habeat. Notum est, qvòd ibi potestas resideat penes omnes,

nnes *conjunctim & indivisim*. Nam ut in statu Oligarchico potestas est penes paucos conjunctim & indivisim: ita qvoqve in Democratiâ. Iecirco omnes, qvatenus conjunctim sumuntur, imperantes sunt, ac imperantes, per qvos imperant, constituunt; qvatenus verò seorsim considerantur, & ut singuli, subditi sunt, illisqve, qvibus jura summæ potestatis à populo oblata sunt, obedire tenentur.

74. Hæc omnia tàm diligenter explicamus propter *Bodinum*, hominem verbosum & malum tùm Logicum, tùm Philosophum. Huic enim majestas, ut ex thesi 12. constat, *est summa in cives ac subditos legibusqve solùta potestas*. In qvâ definitione *Bodinus*, qvi omnes taxat, jure à nobis taxatur, qvòd non observet discrimen inter *subditos* & *cives*. Ipsi sunt æqvipollentia, qvæ toto fermè cœlo differunt. Qvinam sint subditi ex duabus, qvæ præcedunt, thesibus habemus. Qvinam verò sint cives, *id Arist.* lib. 3. Polit. c. 1. explicat.

75. Cives *Aristoteli* est *socius, qvi particeps est suffragiorum & juris de rep. statuendi*. Observant hîc interpretes, Philosophum loqvi de cive, reip. potestati nondum subjecto. Tùm ut cives omnes sunt æqvales, ita æqvale jus habere debent in rebus communibus. Alij verò docent, Philosophum loqvi de civibus, qvatenus in Democratiâ reperiuntur. Ibi enim omnes ad unum, & imperantes & subditi, obtinent nomen civis. Sic *Cicero*, Consul in statu Romanorum Democratico, summam potestatem, à populo concessam, obtinens est civis, sed non subditus. Qvi in cæteris rebus p. cives dicuntur, propriè non sunt, sed tantùm per homonymiam, vel secundum prius & posterius

posterius. In Aristocratiâ nempè & Regno ad naturam civis eò accedunt propiùs, qvò plus honoris & magistratuum ipsi committitur.

76. Ergò manifestum discrimen est inter civem & subditum. Nam non omnis civis est subditus, cùm penes civem possit esse imperium: neqve omnis subditq est civis; qvippe mulieres civium, liberi atqve incolæ subditi sunt, non autem cives. Itaqve civis respectum habet ad civitatem, cujus est membrum, subditus verò ad rempublicam, in qvâ vivit. Patet, ut opinor, satis, qvàm inepta sit *Bodini* definitio majestatis, qvòd sit *summa in cives & subditos legibusqve soluta potestas.*

77. Ex his, qvæ hactenus de summâ potestate diximus, seqventia Corollaria oriuntur. I. *Majestatem non consistere in titulorum ornatu, seu splendore.* Ratio est in promtû; qvia splendor à Majestate abesse potest. Nam de Venetorum Duce dicit *Bodinus*, qvòd qvidem ducis titulum possideat, Majestate verò careat. II. *Majestatem non esse latens qvidpiam, qvòd reddat præter naturam propriam admirabile qvid.* Hic error est *Tholosani lib. 8. c. 3.* III. *Majestatem non esse vim qvandam, per qvam princeps sibi conciliet in animis hominum singularem qvandam admirationem & venerationem, & cum utrâqve junctum meritum.* Qvæ sententia est *Keckermanni.*

78. *Q. I. Num majestas possit dividi?* Affir. Nam majestas est totum qvodpiam, ex certis partibus constans. Certo tamen respectû dici potest indivisibilis, qvando nimirum aliqvid ab eâdem aufertur, majestas amplius non est integra. Qvod declarant

exemplo ulnæ: quæ quamvis, quatenus est quanta, dividi potest; attamen quia, quàm primùm aliquid ipsi detrahitur, ulna amplius dici non potest, etiam indivisibilis rectissimè appellatur.

79. Indè liquidum est, quid sit respondendum *Bodino*, simplices respublicas misceri posse neganti, quòd *majestas consistat in indivisibili*. Hoc ipsum nisi de summâ & perfectissimâ majestate intelligatur falsum est. Nam plura sunt capita jurium, quorum concursus efficit majestatem perfectam, seu integram; quam quidem totam & in universum pluribus communicari impossibile est; sed partes ejus nihil prohibet disjungi, & pluribus attribui, ita quidem, ut in singulis sit particulâ majestatis, in toto autem corpore summa & plena potestas, ex concursû partium suas summæ potestatis particulas in unum comportantium resultans. Sed hæc *Lipsij* & *Bodini* oculis abscondita planè sunt, cùm verum disputandi processum unà cum Philosophiâ passim contemnant.

80. Q. II. *Num jura rectè dividantur in majora & minora?* Hæc sententia est omnium fermè Doctorum. *Johannes Avenarius disp. 6. Collegij Politici th. 7. & 8.* majora vocat, quòd ad summam Imperatoris autoritatem primariò pertineant; cujusmodi potissimùm sunt, leges universales condere, magistratus ac dignitates constituere, bellum decernere, pacem constituere, & quænam sunt alia. Quidam addunt, jura majora esse inseparabilia, nec ullo modo pati, ut in alios transferantur. Minora appellant, quæ Imperator faciliùs concedere solet, quàm majora. Est

ingens

ingens in his verbis errorum cumulus, falsissimis principijs innitens.

81. Nos discrimen inter majora & minora jura hanc ob causam non agnoscimus. Omnes enim summæ potestatis partes ad essentialem rei constitutionem pertinent, adeoqve inseparabiles sunt, sive sint majores, sive minores. Ut enim phylax non est nominandus canis, qvando anima à corpore separatur; ita nec summæ potestatis essentia est integra, à qvâ duæ vel tres partes auferuntur, cùm, sublatâ unâ parte essentiali, non possit esse salva totius natura. Si verò aliqvis jura majestatis appellaret majora, qvæ circa nobiliora, & minora, qvæ circa ignobiliora versantur, huic non repugnamus.

82. Q. III. *Num soli Imperatori & Regibus competat majestas?* Neg. Nam ubicunq; est summa potestas, ibi est perfecta respublica, id est, talis, qvæ in hâc terrâ non agnoscit superiorem, adeoqve etiam majestas. Jam non tantùm noster imperator, sed reliqva qvoqve regna habent summam potestatem. Ergò etiam habent majestatem. Ex hoc fundamento rectè attribuimus majestatem Duci Hetruriæ, Mediolanensi, Senatui Venetorum & Batavis. Habent enim omnia jura majestatis & omnimodam jurisdictionem, & superiorem non agnoscunt.

83. Duo autem cumprimis urgere solent, ex qvibus, tanqvam infallibilibus signis, id colligunt: 1. *Titulum Imperatoris & Regum.* Hi enim soli sibi majestatis adscribunt titulum. 2. *Cumulum omnium majestatis jurium, qvæ soli Imperatori & Regibus immediatè ac propriè attribuuntur.* Ad 1. respondemus,

mus, ex titulo neminem argumentari posse ad summam potestatem demonstrandam. Non enim pauci utuntur appellatione majestatis, majestatem autem nullam habent. Reges Lacedæmoniorum usurpabant titulum majestatis, teste *Xenophonte lib. de rep. Lacedæmoniorum*, quos tamen *Aristoteles cap. 13. Polit.* negat, esse reges, cùm nullam regiam potestatem habuerint. Nam singulis mensibus jurabant, se secundum leges fundamentales imperaturos. Populus Romanus hunc honorem exhibebat *Dejotaro & Syphacis filio*, ut reges vocarentur. Indè autem nemo summam potestatem elicier. Imò uterque sua jura perdiderat, quippe à Romano populo dependebat. Tempore *Friderici* Danorum Dux nominabatur Rex, quamvis perfectam & illibatam potestatem non habuerit. Nam, ut *Tritheimius c. 17.* scribit, se in potestatem Imperatoris tradiderat, datis obsidibus, factoque juramento, se successoresq; suos non nisi Imperatoris & successorum ejus permissû regnum adepturos.

84. Ad 11. resp. negando hanc majorem: *si Imperatori & Regibus omnia majestatis jura competunt: ideoque non stat ei Oligarchico, Democratico aliisq; formis competere possunt.* Quivis enim videt, quòd positio unius non possit esse remotio alterius, cùm Oligarchia, Democratia & mista respublica non minùs atque status Monarchicus sint resp. prædictæ, summamq; potestatem exerceant.